

Latein

1. Juli 2009, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Iunii 2009

Recitator: Kurt Hille

**Conservativi vicerunt**

Ex electionibus Europaeis Conservativi damnis acceptis tamen superiores exierunt. Democratiae Sociales clade maxima affecti sunt, Virides autem et Liberales maiorem suffragiorum partem in se vertere potuerunt quam in electionibus praeteritis. Minus dimidia parte eorum, quibus ius suffragii est, urnas adierunt.

Ahmadinedjad ab Iranis electus

Mahmoud Ahmadinedjad praesidens Iraniae iterum ad hoc munus electus est. Hussein Mussawi competitor eius victus has electiones non sine fraude factas esse affirmavit. Deinde per totam Iraniam motus populi orti sunt.



Mahmoud Ahmadinedschad



Barack Obama

Obama initium novum fieri vult

Barack Obama Civitatum Unitarum Americae praesidens in urbe Cairo pro relationibus inter Americam et mundum Arabicum renovandis locutus est. Oratione praeclara dixit oportere opinionibus inveteratis de religione Islamica initis obviam ire. Quod in vicem muslimis esse observandum de Civitatibus Unitis Americae iudicantibus.

Museum novum Athenis inauguratum

Athenis domus nova nomine Acropolis Museum, quae sub arce est sita, duodecimo anno, postquam aedificari erat coeptum, inaugurata est. Quod quidem opus confectum esse usque ad Olympia anno bis millesimo quarto Athenis edita consilium erat. Spectari possunt imprimis sculpturae e templo Athenae ablatae atque antiquitatis arteficia excellentia, quae in ipso arcis monte reperta sunt.

**Aestuarium maris Germanici hereditas mundi**

Aestuarium maris Germanici, area scilicet vadosa, quae ab insulis Texla Nederlandica et Sylt septentrionali Germanica continetur, inter hereditates mundanas universi generis humani numerata sunt. Plinius maior, cum anno quadragesimo septimo in eam regionem venisset, incertus erat, utrum terrae an fretis adnumeranda esset.


aestuarium – Wattenmeer - Wadden Sea, tideland

Climatis Domus

In urbe Bremerhaven inaugurata est Climatis Domus. Cuius per aedes quasi iter facere potes ab urbe Bremerhaven proficiscens atque etiam eodem revertens. Viatores per omnia caeli spatia orbis terrarum deducuntur sequentes octavum gradum longitudinis.

**Mandatum Lunae petendae**

Abhinc quadraginta annis Neil Armstrong Americanus primus navem



Esa-Mondfähre (Modell)

sideralem in Lunam appulit. Nunc societati Bremensi nomine Astrium primae Europae mandatum est navem sideralem parare idoneam, quae in Lunam mittatur. Octavo anno post navem inanem in satellitem Terrae appelli consilium est.

Princeps musicae popularis decessit

Michael Jackson, primus inter musicarios Americanos, mortuus est, qui per decennia inter artifices musicae popularis famosissimos numerabatur. Per ultimam vitae partem fama eius rumoribus paedophiliae et formositatis chirurgice reformatae obscurata erat.

Notabilia: Picturae parietales egregie relectae

Nusquam plura artificia Pompeiis vel Herculanei inventa visi possunt quam Neapoli in Museo Nationali. Picturae parietales illae praestantissimae his decem annis magno labore magnisque impensis relectae nunc splendent simili splendore atque anno undeoctogesimo p.Chr. n., quo haec oppida a Vesuvio obruebantur.

Plura invenies sub:

Omnibus lectoribus ferias iucundas optamus. Proximi nuntii Kalendis Septembris in interrete erunt.

Die Deutsche Version:

[Lateinnachrichten Juni 2009](#) →

Recitator: Kurt Hille

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/nuntiilatinijuni100.html>



Michael Jackson und Henning Scherf